DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PNEUMONIA.

AUCTORE A. GAPPER.

Cum e legibus in hâc almâ Academiâ nostra institutis de iis, qui in numerum Medicinae Doctorum cooptari expectant, mihi in praesens propositum sit de Pneumoniâ et ejus medendi ratione disserere, imprimis qui mea legant monitos velim, me omnes disquisitiones (ut eo verbo utar), theoreticas de industriâ praetermisisse; nec tamen ideò, quòd eas pro inutilibus habeo, nec quòd nullis partibus ipse faveo; quoniam, quàm difficile factu est quemlibet animadvertere ea, quae in rerum scientiâ et experientiâ oculis subjiciuntur, nec, quae animadversa sunt, cum aliquâ sententiâ suâ simul non conjungere; hoc quoque apparet a disceptati-

onibus eorum de re medicâ scriptorum, qui praejudicio se praecipuè vacare professi sunt.

Sed hoc re me movet ut eum teneam cursum quòd cùm alii alia sentiunt de phlegmonae naturâ, et omnia, quae in eâ videntur, congeries opinionum a quovis conceptarum planè explicare vix potest, supervacanei laboris opus aggressurus visus sum, si aperire conarer agendi modum, vel causarum, quae aut antecedunt aut proximè excitant morbum, vel remediorum, quibus ei obviam iri expedit, ipso etiam explicationis principio, scilicet naturâ phlegmonae, dubio, et argumentis adversis undique petito.

DE PNEUMONIAE DEFINITIONE ET SPECIEBUS.

Illustrissimus Cullen Pneumoniam in Phlegmasiae genere undecimo posuit, eamque indè ita definiit—" Pyrexia, dolor in quadam thoracis parte, dyspnoea, tussis."

Eam porro in duas species dividit, nempe Peripneumoniam et Pleuritidem, quorum nominum illud indidit inflammationi ei, quae pulmonis materiam cellulosam corripit, hoc ei, quae in pleurâ est.

Existimatum est dolorem in priore semper obtusum esse, nec nisi difficillime spiritum respirare posse; contra quod dolorem in posteriore esse accutum; quae ergo signa Cullen pro indiciis praecipuis, quibus hae species inter se dignoscerentur, selegit. Haec tamen manifestum est eum ita statuisse adductum magis illis rebus, quas alii viderant, quàm quae ipse expertus erat; namque in libro, quem de medicinâ practicâ scripsit, putare videtur nec haec nec quaevis alia indicia ad hos morbos planè distinguendos sufficere; nec obscurè docet inflammationem in materiâ cellulosâ pulmonis nunquam oriri, sed eam denique attingere a pleurâ tanquam primâ sede profectam; cùm, aliis auctoribus, non dubitandum est quin inflammatio ejusmodi aliquando fiat. Praetereà credibile potest

esse nemini, cui perlecta est epistola vigesima libri "de sedibus et causis morborum" a Morgagni confecti, vel notas, quibus fidem habere ferè praecipimur in his morbis definiendis ad id satis valere, vel quaecunque alia valere posse. Nec tamen graviter ferendum aut quòd res ita est in his et multis aliis speciebus, in quas hic morbus a quibusdam dividi solet, aut quòd diagnosis inter carditidem et pneumoniam perquàm difficilis et incerta est, cum hae divisiones in usum quotidianum nihil conferunt et quotiescunque observentur, animo ita in systematis vinculis constricto, nihil aliud efficiunt, (ut mihi quidem videtur), quàm rem ipsam conturbant, quoniam in omni hujusmodi casu ratio medendi plerumque eadem est. Quantumcunque vero inter se discrepent medicorum sententiae de hoc, num diagnosis inter species, de quibus supra memoratum est, fieri potest, omnibus tamen conveniet pneumoniae definitionem, quae a Cullen prolata est, hunc morbum ab aliis similibus plerumque satis distinctè sejungere, quod in quibusdam exemplis nullâ definitione unâ consequi licet.

De morbis, quos verendum est ne cum hoc confundamus, posteà mihi dicendum erit.

DE NOTIS PNEUMONIAE.

Pneumonia plerumque incipit a rigoribus, cum dolore in thorace posito, respiratione difficile, et pulsu duro, valido, frequenti. Aliquandò autem ejus impetus multi magìs ambiguus est, dolore in thorace ita levi existente, ut medici animadversionem effugiat, signisque, quae febrem denotant, prout in febre continuâ aegrum invadentibus; unde fit ut primò esse febris ipsa falsò putari possit.

Quamvis indicia, e quibus definitio conflata est, fere adsunt, singula tamen in singulis aegris vi et aliis rebus circumstantibus differunt. Ex his dyspnoea, ut maximè, unâ cum morbo exorto apparet, quo progresso semper plùs minùs gravis fit ; aegro inhalente molestior est et saepe pro diversis corporis positionibus variatur ; nunc vehementius urget

cum aeger in latus affectum incumbit, nunc e contrario res evadit; aliquando non nisi supinus aeger cubare potest, et humeris tollendis plerumque multùm levatur; alias solùm corpore erecto lenitur.

Respiratio brevis est et crebra, si dolor acer sit; sin obtusus, vel omnino absens, vel impeditur, et laboriose degitur cum angore et ponderis praecordia prementis sensu.

Dolor fere in certo aliquo loco permanet, sed interdum thoracem variis itineribus permeat.

Plerumque sentitur ad costam sextam vel septimam, nunc ad dextrum, nunc ad sinistrum latus, nec aliqua quidem thoracis pars est quam singulam in singulis aegris non corripit. Putarunt aliqui saepiùs dextrum quàm sinistrum latus dolore, sed haec opinio experimentiâ fulciri non videtur. In quibusdam aegris plurimùm valet corporis positio ad augendum, tum dolorem, tum dyspnoeam. Dolor saepe acer est, et plenâ inspiratione magis

excitatur; aliquando obtusus cum ponderis sensu potiùs quàm doloris; nonnunquam aeger eo caret nisi cum in alterutrum latus incumbens spiritum valdè inhalat vel tussit; est ubi denique, (quod rarius fit) is omnino abest, quâ in re aliis signis tantùm morbus deprehendi potest.

Hunc morbum tussis ferè semper comitatur, quae, si dolor acer sit, aegrum multùm solicitat; excreatio aliquando omnino nulla est, plerumque autem tussem ab initio prosequitur, vel huic aliisque invaletudinis notis proximo intervallo accedit; id, quod excreatur, primò tenue est, vigente morbo spissum fit; nequaquam uno colore est, et interdum sanguine intertinctum.

Pulsus primò durus, validus, et frequens est, et, quamvis principio motu non incitatiore solito urgeatur, sanguinis emissione acceleratur.* Eum

* Quod hoc proximo anno perspectum est in aegro pneumonia laborante, qui apud Valetudinarium Edinense de-

porrò diversum esse in diverso corporis latere, qui de re medicâ scripserunt, saepe annotarunt. Praeter ea signa, de quibus jam dicta sunt, omnibus illis, quae in Synocha videntur, hic quoque morbus obnoxius est. Caput graviter dolet, facies rubore suffunditur; cutis calida est et arida; sitis multùm accenditur; lingua sicca est, scabra, alba; urina redditur, vel limpida et copiosa, vel multùm colorata et parca; alvus plerumque vel astringitur vel laxatur; et raro munere suo aequabiliter fungitur; delirium vix unquam adjungitur.

DE DIAGNOSIS.

Quamvis quaedam signa sunt multis morbis cum pneumonia communia, quotiescunque tamen pyrexia, dolor thoracis, et dyspnoea adsunt, vix dubi-

---

cumbebat. Ei pulsus, cum primò non frequentiores essent quam sano fuerant, postquam ad viginti octo unciae sanguinis detractae essent centum numerati sunt, et pleni, validique manserunt.

tandum est quin pneumoniam ostendant; eam nihilominus Hysteria *, ut infra illustratur, interdum accuratissimè imitatur. Morbi quoque alii sunt, qui, cùm hujus speciem prae se ferant, iidem reverà esse videri possunt; quales sunt imprimis, Pleuritis spuria, (inflammatio videlicet musculorum in-

---

* Virgo annos duos et viginti nata in dextro thorace concepit dolorem, qui plena inspiratione et tussi augebatur; pulsuum numerus erat centum triginta octo, paululum excreatum; caloris gradus centesimus, lingua alba; respiratio multò frequentior solito, nec foemina in dextrum latus incumbere poterat; dolor primò in lumbis sedem habuit, deinde ad humerum, posteaque ad dextrum hypochondrium se removit. Levamen aliquod attulit copiosa detractio sanguinis, cujus quiescentis superficiei crusta alba abducta est; sed Dr Graham, qui eam curabat, veram morbi naturam suspicatus ex eo quod corporis partes invicem plures invaserat, haustum ex aethere et tinctura opii compositum adhibuit; quo facto, dolor statim cessavit, sed post breve spatium revertit, et iterum ab eodem remedio depulsus est, et denique à medicina cathartica, antispasmodica, et tonica foemina omnino sanata est.

tercostalium), et Hepatitis. In illâ verò pyrexia vel abest, vel multò mitior est quàm pro dolore verisimile videretur, et dolor ipse multùm ingravescit, tum pressurâ partis ejus cui insidet, tum contractione musculorum inflammatorum; quae in pneumonia longè aliter sunt, nisi haec unà cum illa existit.

In Hepatitide, contrà, pressurâ Hypochondrii dextri fere semper crescit dolor, qui et summum humerum, et regionem sub scapula sitam simul affligit; et visceris morbi laborantis munia malè procedunt; sed aliquando inflammationes viscerum, quae in thorace quoque in superiore abdominis parte insunt, adeo miscentur, ut, utrum horum magis aegrotet, discerni nequeat.

Cavendum quoque est, ne pneumonia, quae symptomatica est, pro idiopathica accipiatur, qui quidem error, ut perniciosus, ne dicam lethalis esset, ita aliquando non facile evitatur. Ad haec, pneumonia cum Typho saepe conjungitur, quae

morbi forma composita, ut a simplici distinguatur, exactâ diligentia et inquisitione opus est.

Pneumoniae symptomaticae duo genera sunt, quorum unum (Pleuritis bliosa) a bilis irritatione in canali alimentario factâ; alterum (Pleuritis verminosa) a vermibus intestinis nascitur. Utroque signa interdum eminent, quae in pneumonia videntur; sed, cùm pneumonici vermes in intestinis gigni antea solitum sit, vel corporis is status sit, qui ita affectus, id praecipue prospiciendum est ne, huic morbo, cujus in vermibus expellendis proprium et unum remedium sit, eodem modo, quo ille, consulatur. Quòd si aegro frequenter contigit bilis exsudatione tentari, vel eum jam nunc id pati ex signis fide dignis judicare liceat, medicum oportet cavere ne pneumonia symptomatica sit; et si ita sit, ad medicamina emetica et cathartica, tanquam optimam curationis rationem, confugere. Denique in pneumonia cum Typho conjuncta, signa, quae febrem denotant, ea, quae pneumoniam, plerumque antecedunt; vel, si simul se osten-

dant, vim minorem haec exhibent quàm illis conspectis, putandum esset; et, si aeger contagioni obvius fuerit, vix ullus dubitandi locus est quin res ita se habeat.

DE PNEUMONIAE EXITU.

Pneumonia finiri potest resolutione, suppuratione, gangraenâ, vel effusione seri aut sanguinis in pulmonis substantiam cellulosam, vel prior in thoracis cavum, quorum hoc factum efficit morbum, qui Hydrothorax nominatur. Mortem ferè inferunt omnia haec exitus praeter resolutionem. Huic plerumque adest evacuatio nonnulla, et frequentissimè excreatur quoddam subflavum vel albidum, sanguine saepe interstinctum, nec difficulter ejectum; aliquandò purulentum est, etiam si nulla ulceratio praecesserit, unde, quod ad puris originem spectat, videtur id membranâ inflammatâ secretum esse. Alia resolutionis signa, sed paulò rariora, hae sunt sudor fluidus, qui a toto corpore manat fluxus sanguinis a naribus, interdum haemor-

rhois; urina rubra, turbida; et nonnunquam diarrhaea. Inflammatio quoque aliquandò ad alias coporis partes transit, verbi causâ, ad glandulam parotidem, aut cutem. Denique usitatae morbi notae ut plurimùm leviores fiunt priusquàm eae, quae resolutionem indicant, ostendantur.

Mors cum hunc morbum claudat, ita ferè inducitur, sanguine in cellulas pulmonis effuso, et exinde, eas, quae aëris receptacula propria sunt, explente, aeger suffocatur; hanc morbi finem eventurum ex his signis colligi potest, colore faciei livido, dyspnoeâ multum auctâ, pulsu debili ac frequenti.

Sin morbus, quamvis minùs acerbus, sine ullâ tamen intermissione diu permaneat, putandum est accessuram suppurationem, (quae die decima quarta plerumque contingit,) praesertim si nulla apparuerint resolutionis signa; supprimatur excreatio; dyspnoea mitescat, aliis in meliùs evadentibus, pulsusque mollis et vibrans fiat. His visis, si aegrum tentent horroris impetus frequentes, nec

certo ullo tempore accedentes, quorum nulla justa et manifesta causa existat; si minuatur vel tollatur dolor, manente dyspnoea, pulsuque moto pleniorae et molliore, et vel tardiore vel incitatiore cursu; denique si febris acerbiore vi vespere redeat, suppurationem jam coeptam esse augurare licet. Quòd si praeterea his rebus adjungantur tussis sicca et pertinax, respiratio difficilis, frequens, raucumque sonans, et febris hectica, vomicam genitam esse jure credamus, quae cùm proximè sub costis ad pulmonis superficiem sita sit, tumor ipse et fluctuatio quaedam saepe extrinsecùs sentiri possunt.

Haec solutio variis modis mortem affert; vomica modo in pulmonis cellulas dirumpitur, quae, si magna sit, aeger statim suffocatur; sin parva, puris excreatio et febris hectica moventur, quae vires gradatim exinaniunt. Modò hoc idem fit in thoracis cavo, unde exoritur morbus empyema nominatur; modò abscessus ab externo aliquo ore exhauritur, qua in re larga puris secretio aegrum

vehementer debilitare solet. Accidit quoque, (rarissime tamen,) cum vomica haud ita magna sit, et corpus robustius, naturam per se ipsam medici vice fungi, et morbo mederi, pure absorpto et in urinam vel alvum aliquando deducto. Gangraena rarò pneumoniae finis est, sed haec solutio morbum admodùm gravem nonnunquam sequitur, nec signis ullis suis ab effusione internosci potest: nec verò eas internosci proderit, cùm utraque vitam aequè ac citissimè extinguit.

DE PROGNOSI.

Quaecunque resolutionem indicant pro signis, secundum morbi exitum praenunciantibus, habenda sunt, quae inter praecipuè numerare licet excreationem liberam, et totius corporis sudorem, si quam morbi remissionem afferre videantur, et quò majorem, eò feliciora sunt. Hujusmodi quoque est eruptio milliaria nisi proficiatur a calore, quem vitae ratio in hoc morbo praescripta corpori indere solet.

Pyrexia vehemens semper periculosa est, idque maximè si, remediis aptis adhibitis, reprimi nequeat. Delirium item quod in hunc morbum raro cadit, ultimum praetendit discrimen. Si nihil omninò vel paululum, idque difficulter excreatur; aut si excreatio ad morbum leniendum nihil conferat; aut ille sine intermissione protrahatur; et, ut rem brevè praecidam, si signa resolutionis futurae desint, et ea oboriantur, quae aliûs solutionis fidem faciunt, haec primo argumento sunt, quòd morbus non alitèr quàm morte cessaturus est.

DE IIS, QUAE VIDENTUR, DISSECTO CORPORE.

Thorace recluso, pulmo, quà inflammatione afficitur, praeter naturam rubicundus est, eumque pervagantur plurima minutissima vascula, sanguine turgida, quae aliam prorsùs speciem praebent, quàm cùm post mortem sanguis gravitate suâ in imas partes residet; hoc quoque cùm fit, calore est omnino atrorubeo, ut, cùm inflammatio mortem

praevenerit, nonnullis in locis rubicundo rutiloque. In superficie etiam pleurae, maculae inflammationis fere conspiciuntur. Pus colore flavo-viridi, aliquando sanguine tinctum, in alterutro pulmonum lobo invenitur; vel sanguis aut serum per eorum substantiam diffusum; saepe quoque abcessus multi per eos sparsi.

Pleura interdum illinitur pure, vel a pulmonis abscessu effuso, vel membranâ ipsâ secreto. In pleurae superficiem saepissime inducitur lympha concreta, quae pleuras pulmonis et costarum conglutinet; quae etiam videntur, quamvis inflammatio tantulum virium habuerit, signis quidem propriis cerni nequiret: effusio etiam seri in thoracis cavum aliquando videtur. Apparent nonnunquam inflammationem simul passa esse pericardium et cor, et inter haec interfusa aqua vel lympha, quae posterior partium aliquarum adhaesionem efficit; raro ulcera sunt in cordis substantiâ, et aliquando polypi, quae, vel in articulo mortis,

vel paulò post mortem absolutam, creantur. Saepe indurantur hepar et pancreas, et augetur lien.

DE CAUSIS PNEUMONIAE.

Causae antecedentes, quae homines ad hunc morbum procliviores reddunt, haec sunt :—largus usus generosi potûs; exinanitiones solitae repressae; constitutio corporis plethorica; et quaecunque ejusmodi habitudinem afferre solent. Saepiùs aggreditur mares aetate maturâ, firmos vegetosque; foeminas item robustiores.

Causae, quae plerumque morbum proximè excitant, haec sunt :—frigus humidum admotum corpori, praesertim sudor profusus; vapores acres; pulvis in pulmonem inhalitus; et qualiscunque sit, exercitatio vehemens, ea imprimis quâ pulmo diu agitatur, ut cùm intenditur vox in loquendo, aut canendo.

DE RATIONE MEDENDI.

Omnibus remediis praestat sanguinis detractio, cùm universa, tum localis. Priore ratione uti oportet quàm primùm fieri potest, et, si intra diem tertiam vel quartam post morbum obortum adhibeatur, majorem utilitatem secum feret : sed, quamvis diu morbus invaluerit, si signa, quae inflammationem vehementem indicant, adsint, minimè praetermittenda est ; nec etiam si sanguis sponte profluxerit, aut quaequam exinanitio inciderit, nisi eorum alterutrum fuerit praeter modum, et morbum multùm minuisse visum fuerit.

Quantum sanguinis detrahi oportet non aliter judicari potest, quàm animadversis iis, quae detractio effecerit ; ab ea autem effici expedit vel incommodorum morbi, (praesertim duritiae pulsûs), levationem, vel syncopen.

Parum refert quâ de parte corporis accersatur sanguis, modò satis eliciatur; cùm autem consentaneum est venae incisionem, eò magis profuturam esse, quò propiùs a sede doloris fiat, petatur sanguis, si commodè fieri possit, a venâ jugulari, quaeque in thoracem sanguinem suum effundit.

Prima sanguinis emissio, quamvis pro tempore morbum sedaverit, plerumque adeò non devincit, ut aequè, vel etiam magis violenter, postea redeat; nec, ut fere res se habet, ejus signa omninò discedunt dum eidem rationi insistatur, multo sanguinis singulâ vice detracto: hoc modo phlegmona oppugnandum est, quotiescunque et quàm primùm aegrum denuò urserit. Cavendum tamen ne aeger adeo debiletetur, ut serum effundatur aut in substantiam pulmonis aut in thoracis cavum; nec sanguinem emitti conducit cùm videatur futurum esse ut suppuratione morbus concludatur. Hujus contrà remedii usum commendare solet, quòd sanguini detracto pellicula alba

insideat, huic autem phlegmonae indicio ab aliis sejuncto modica adhibenda est fides.

Perquam utilis est detractio sanguinis a thorace ab hirudinibus aut cucurbitulis effecta, et multùm adjuvat eam quae universa est; praecipuè quoque commoda est ea, cum infirmitas virium hanc non permittat. In infantibus prior ratio minuendi sanguinis tum universos, tum singulos effectus edit.

Semper institui oportet diaetam eam, quae phlegmonae adversetur, quaeque ideo remediis jam dictis auxilio sit. Cibus parce concedatur, vel potiùs, per primos morbi dies ab eo omninò interdicatur; nec alius sit quàm fruges eae, quae facillime concoquuntur.

Potus sit blandus, tenuis, moderatè tepidus, et cum acido vegetabili commistus; largè bibatur, ita tamen ut non onerent ventriculum.

Nitras potassae et alii sales neutrales saepè multùm prosunt, ni moveant tussim, quae et aegrum vexaret et phlegmonam promoveret.

Irritatio, quam calor gignit, semper evitanda est; quamobrem aegroto mandetur ne in lecto cubet, si ab eo exclusionem facilè pati possit; sin minùs, perpaucis stragulis injectis, jaceat. Cubiculi temperies ne excedat sexagesimum caloris gradum a thermometro Farrenheitiano indicatum.

Remedia cathartica utilia sunt, sed magis ad sedandam irritationem retentione excrementorum factam, quàm ad sanguinem minuendum; quare alvum potiùs lenitèr laxare, quàm purgare oportet.

Nocent medicamenta vomitoria cum eam vim habent, ut vomitum ipsum provocent, nisi in pneumonia symptomatica a vermibus aut bile pro-

fectâ, in quâ multum adjumenti conferunt; sed adhibita, ut merae nauseae causae sint, sub morbi finem aegroto proderunt; certè expectorationem optimè solicitant.

Quibusdam medicis in proposito fuit sudorem ciere, eo quòd compertum est resolutionem saepè sequi sudorem sponte factum; illum tamen, qui arte elaborari possit, raró ex usu esse experientia docuit.

Herba Digitalis in hujus morbi curatione salutaris judicata est, quia vim sanguinis per arterias fluentis cohibere potest; quâ igitur adhibitâ putarunt nonnulli detractionem sanguinis minùs necessariam fore. Quod si verum esset, plurimi certè habendum sit id medicamentum, cum viribus aegroti parcere expediat; sed quae ejusmodi ratiocinatione collegerunt quidam, experimentis respondere non videntur.

Remedia, quae emolliendi vim habent, multùm

ad id valent, ut a faucibus et ventriculo irritationem arceant.

Et dolorem minuit et expectorationem promovet Opium, a quo tamen abstinendum est saeviente phlegmonâ, ne excitatione suâ eam augeat; febre autem, dyspnoeâ et tusse solutis, aegroto nimis adhuc vigilanti, haud leve commodum præbebit.

Cùm, quod expectoratur, viscidum et tenax est, inhaletur vapor aquae, ejusque mistae (ut quibusdam placet), cum herbis, et (quod imprimis laudatur), aceto. Cum pulsus detractione sanguinis mollior factus fuerit, ex utilissimis sunt emplastra e lyttâ confecta quae ampla parti dolore affectæ quàm proximè apponatur, eaque pars, ut continuo seri fluxui aliquandiu consulatur, posteà inungatur, unguento sabinae vel lyttae, vel quod praestat, emplastra lyttaealia, alio remoto, sanatoque, ei applicentur.

Si aliâ quâdam solutione morbus concludatur, nullus ferè locus est medici operae. Si res eò evadat ut effusio in pulmonem, vel gangraena fiat, mors certò expectanda est.

Si abscessus in pulmonem dirumpatur, nec aeger statim suffocatur, purulenta expectoratio et febris hectica indè oriuntur, quibus gradatim vitae effluit, nec quicunquam aliud medicus praestare potest, quàm molestiores morbi res delenire, nam vires naturae tantùm potest e tanto periculo sanitatem et salutem reducere: nec minus est de vitâ desperandum, abscessu in thoracis cavum dirupto, sed, si externè tumeat, persecari potest.

Cum aeger valdè debilitatus fuerit periculum aliquando est ne suffocetur excretione muci, quod, in pulmone collectum, egeri nequit; cui rerum conditioni inserviunt expectorantiae stimulantes ut scillae, ammoniacum, ammonia, etiam emplastra vesicatoria adsunt; aliquando etiam vinum,

sed exacto judicio, et summâ cautione adhibitum.

Protuli jam, ut credo, praecipuas res, quae pertinent tum ad naturam ipsam morbi, quem mihi illustrandum suscepi, tum ad rationem ejus medendi, nec ea, quae disputari, longè a vero absona esse anxius spero.

Opiniones, quas exposui, nullas confirmare ausus sum meâ solius experientiâ, quae quum tenuis necesse sit, nemini non patebit. Plurima tamen eorum, quae tractavi, vel e libris, vel e lectionibus in hâc Academiâ nostrâ habitis collecta, mihi etiam, Pneumoniâ laborantes visitandi, ad amussim exigere contigit.

FINIS.